



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclvsio LXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P· M.

mus, quia ex nouissimis facit primos.

Q VI A docet horrere pœnas, immo facit liberos a pœna, quod est solūmodo iustorum. Nullus enim indiget indulgentijs, nisi seruus pœnarum, id est, qui non calcat eas, contemptu superbo eis dominans, sed premitur illis & fugit eas, sicut puer ab umbris noctis & tenebrarum, & tamen permittuntur liberi, cum iusti etiam subiecti sint pœnis uarijs.

C O N C L V S I O L X V .

Igitur thesauri euangelici rhetia sunt, quibus olim pîscabantur uiros diuitiarum.

S IC enim Apostolus, Non quero uestra, sed uos. Et Christus faciat uos fieri pîscatores hominum. uerbum enim dulce, trahit uoluntatem, immo facit uoluntatem hominis in Christum Vnde S. Petrus in urbe pîctus pîscator, dicit, Ecclesiam pro naue rego, mihi clivata mundi Sunt mare, scripturæ, rhetia, pîscis, homo.

C O N C L V S I O L X VI .

Thesauri indulgentiarum, rhetia sunt, quibus nunc pîscantur diuitias uirorum.

H ANC puto ex dictis clarā, quia per remissiones pœnarum homo nō sit melior, nec trahitur plus ad deū(hoc enim solo uerbo Christi sit) cum sint uerba hominis, dantis licentiā ac relaxatiōnem magis q̄ capientis & ligantis. Quod si aliquid capiunt, certe nihil nisi pecunias, non aut animas capiunt. Non quod da mne istud negotiū pecuniarū, contribuendarū, immo meo iudicio, uidetur, dei prouidentia id curare in isto negotio, ut cū sit uilissimū inter dona & officia ecclesiæ, nec dignū in futura uita coronari, saltem in hac uita, uel modica pecunia remuneret, ut nihil maneat irremuneratū, q̄q̄ olim gratis siebat relaxatiōnes.

C O N C L V S I O L X VII .

Indulgentiæ, quas cōcionatores uociferant maximas gratias, intelliguntur uere tales, quo ad quæstū promouendū.

S IC enim audet audax ignorantia, ut maximū uocet, quod minimum est, & relinquuntur tum populo iudicium, & facultas

K ij

M. L. RESOLV TIONES DE VIRTUTE IN  
recte intelligendi, ut errans credat dei gratiā hic dāri. Ipsi enim  
non exponunt, ne sibi ipsis contradicere cogantur, aut menda-  
ces inueniantur, quod paruum dixerint magnum.

C O N C L V S I O L X V I I I .

Sunt reuera minime ad gratiam dei & crucis pietatem  
comparatae.

I M M O comparatae ad dei gratiam, sunt nihil & nullae, cum  
potius contraria operentur gratiae dei, tamen propter ignauos  
& pigros toleratae. Et patet ex dictis.

C O N C L V S I O L X I X .

Tenentur Episcopi & Curati ueniarum Apostolicarū,  
Commissarios cum omni reuerentia admittere.

Q V I A authoritati papali, in omnibus cum reuerentia ce-  
dendum est. Qui enim potestati resistit, resistit dei ordinationi,  
qui autem deo resistunt, ipsis libi damnationē acquirunt. Et do-  
minus ipse, Qui uos spernit, me spernit. Igitur licet in rebus exi-  
guis, nihilo tamen minus, q̄ in magnis, authoritati cedendum.  
Hinc illud etiam uenit, quod & si Papa ferret iniustas sententi-  
as, timenda tamen sunt, & ut Carolus inquit Imperator, Quic-  
quid imposuerit, quantumuis graue sit, ferendum est, sicut & ex  
perientia uidemus fieri ab Ecclesia, quæ certe infinitis oneribus  
hodie premitur, & tamen pie & humiliter fert quieta. Id tamen  
intelligendum est, ne quis in erroneam conscientiā ueniat, qua-  
si ideo sint timenda iniustae sententiae, quia sint approbadæ tan-  
q̄ iustæ, ab ijs, qui debent eas timere, Cū ipsem P ontifex, alijs  
decernat ab Ecclesia ligari, qui tamen coram deo ligati nō sunt,  
& cogit eos ligationem ferre, nec eis nocet talis ligatio, quia est  
poena tantum, & timeri debet, non autem scrupulum consciencie  
facere, sicut timere debemus deum, in omni alia uiolentia,  
etiam prophana, & non per contemptū superbe reluctari. Ita &  
onera sunt ferenda, nō quod recte fiant, & approbanda sint, sed  
ut flagella a deo inflicta, & humiliter portanda. Quare senten-  
tiæ iniustæ & onera sunt timenda, non propter illud uerbum,  
Quodcunq; ligaueris, sed propter illud generale præceptum, E-  
sto consentiens aduersario tuo in via. Et illud, Qui te percussit